

Raptum Ida, & summo statuit Jovis ales olympo
 Agmen agunt; arcum, & pharetram gerit ille sonantem:
 Hic duo ferta rosis, canisque intexta ligustris.
 Felices animæ, quas cœlo mascula virtus
 Extulit, in media circum densantur arena.
 At turbam ante omnem; solium qua proxima tangit
 Area, majori geminos in lumine cœtus
 Cernere erat variis lætos insignibus: illi
 Pastorale pedum dextra, sacramque tiaram
 Fronte gerunt, triplici quam tres diademate cinctam
 Ostentant; apice in summo crux aurea fulget.
 Gemmatum est aliis sceptrum, e mediaque corona
 Confurgit molli eductum curvamine tegmen
 Verticis Augusti; quos circum plurima turba
 Intextis auro trabeis; & veste superbit
 Purpurea: clypeum, & galeam gerit ille comantem;
 Huic rostrata corona tegit caput; hic habet aureum
 Ad calcem calcar: majestas plurima vultu
 Regnat, & e toto mentis vigor emicat ore.
 Nec minus & blandi fulget pars altera sexus,
 Matronæque graves, castoque pudore puellæ,
 Gemmatisque nurus in vestibus, aurea quæque
 Serta e virgineo gestant exstantia velo.
 Talia dum tueor, tubulumque ad singula flecto
 Adtonitus, Divam demum anxius alloquor, atq. his
 Adgredior dictis: age jam, totque abdita pande,
 Uranie: quæ pompa micat, quid Numina tanta
 Mole struunt, quid tot Nymphæ, Geniique coacti;
 Quid media expectant tam densi Heroes arena?
 Tum Dea: stellanti rutilans quod mole theatrum
 Adspicis, orbe suo Divum pater, atque hominum rex
 Hoc sibi, cum primum insedit Regnator olympo,
 Condidit: huc summo delabitur ætheris axe;
 Si quidquam, terris gravius quo consulat imis